

REVTLINGENSE.

*Cui decimas Reütlinga suas solenniter olim
Debit: at iusto precio, & certo aere redemit
A Monachis iterum Respublica libera facta est.
Huc Bebenhusa vetus formosam condidit aulam
Quae nunc egregie renouatur tempore nostro,
Dij precor aspirent captis feliciter orsis.
Illic Cœnobij sunt Salmansuulia sacri
Mœnia: Cœnobij quoq; culmina duplicis vndæ,
Nos Zuvifaltensem germani dicimus aulam.
Huc quoq; Cœnobium Marckthali condidit edem,
Illustremq; domum: premonstraten sibus illud
Extruxit Monachis Comes Illustrissimus Hugo
Hugo palatinus, qui duxit ab vrbe Tubinga
Progeniem, stirpemq; suam, nomenq; vetustum.
Non procul hinc fratrum Marckthali à sede Minorum,
Cœnobium Reütlinga tuum stat inane, quod olim
Incoluere viri, nudis qui gressibus intrant.
Hæc lignis extructa micant, tectisq; superbis
Vndiq; condecorant urbem, murisq; coronant.
Limpidus hanc mediam percurrit Achatius annis
Et bene purgat aquis vicos, omnesq; plateas
Vndiq; perlustrat salebrofam riuius urbem.
Mille quater centum Mundus numerauerat annos
Octoginta simul lapsi post tempora Christi
Cum lustro, quando Fridericus tertius urbem
Ingressus nostram Dominator maximus orbis,
Pelagij, Solisque dies illuxerat ortus,
Tempore quo Caesar sub vespere venit in urbem
Atq; quater centum consueuerat ire Caballis,
Hunc Reütlingenses magnâ excepere cateruâ
Ingentemq; illi pateram, sua munera monstrant,
Rhenanis quæ penè fuit repleta coronis.*

Aula Cœnobii
Bebenhusani
renouata est An.
1594.

Aula Cœnobii
Salmansuillani
fundati Anno
750.
Aula Cœnobii
Marckthalensis
fundati Anno
1171.

Cœnobium ci-
uitatis Reütlin-
gensis à fratrib.
ordinis Minorū
olim extructum
& inhabitatum.

Fridericus Dux
III. Aust. Rom:
à Reütlingensi-
bus hospitio ex-
ceptus An. 1485.
die Pelagii 400.
Caballis ingres-
sus est.

Munera Reut-
lingensium Cæ-
sari oblata.

B 2

Dein-